

ipsarum partium, vel alterius earum in iudicio, vel extra, tam de jure quam de facto. Item fuit actum inter dictas partes, quod omnes et singuli captivi, carcerati et detempti partium predictarum et cujuslibet earum, et subditorum ipsararum, ubicunque sint et penes quemcumque capti vel detempti sint, et quicumque sint, sive capti sint per ipsas partes vel gentes ipsarum, vel per singulares personas seu stipendiarios ipsarum partium et cujuslibet ipsarum, sive etiam fuerunt detempti in virtute seu potestate ipsarum partium vel quarumcunque singularum personarum cujuscunque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptione, exactione vel impedimento quocumque reali vel personali relaxentur, liberentur et expellantur ac restituantur pristinae libertati. Item est actum inter dictas partes dictis nominibus quo supra, castris, bastitis, terris, et locis, que dominus Padue tenet super territorio Trivisino, commune Venetiarum ipsos dominum Franciscum de Carraria et ejus natum et dictum commune Padue non debeat quomodolibet molestare de jure vel de facto. Item quod prefatus dominus Franciscus dominus Padue, natus ejus, et commune Padue restituant et remittant communi Venetiarum castrum Capituli aggeris et bastitam Morenzani in eo statu in quo sunt, salvis tamen munitionibus in ipsis castro et bastita existentibus et aliis mobilibus, que dictus dominus Padue in dictis locis haberet, que de dictis locis haberet, que de dictis castro et bastita extrahi facere possit. Et quod si a kal. Julii proxime preteriti citra aliquod castrum vel fortilicium alicujus partium predictarum captum vel occupatum fuisset, vel de cetero fuerit, tam in territorio ducatus Veneciarum quam Trivisino, quod debeat hinc inde restitutio fieri. Et similiter si a dictis kal. Julii citra et de cetero aliqua bastita seu fortilicium aliquod de novo facta vel factum esset super territorio, quod altera dictarum partium a dictis kal. Julii citra possedisset vel tenuisset, debeat tolli, et libere dimitti parti, que dictum territorium a dictis kal. Julii citra possideret vel teneret. Item quod turris Curani, que detinetur per commune Veneciarum, dimittatur et relaxetur domino